

7. Sekundärliteratur

Historiae Collegii Philobiblici Lipsiensis Pars 1.

Illgen, Christian Friedrich

[Leipzig], 1836

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Quamquam in Collegio Philobiblico Lipsiensi, a cuius originibus usque ad hoc ipsum, quo vivimus, tempus centum quinquaginta effluxere anni, non tanta fuit auctoritas atque amplitudo, ut res illas, quae vel Christianorum vel disciplinae theologiae statum immutarunt, ullo unquam modo aequiparare queat: tamen tum propter antiquitatem, tum propter splendorem multorum virorum, qui inde prodierunt, de sacris Christianis pariter ac de literis meritissimorum, tum quod haud parum valuit ad librorum sacrorum studium in ecclesia Evangelica instaurandum, augendum, emendandum atque fructuosius reddendum, meretur sane haecce societas, cuius historia singulari libro exponatur. Ad quod negotium in me suscipiendum non pietas solum me movit, quippe qui per octo et quod excurrit annos utilissimis ipse huius Collegii exercitationibus interfuerim, verum exoptatissima etiam, quae mihi oblata est, ex limpidissimis fontibus hanc narrationem hauriendi occasio, cum Vir Summe Venerandus, D. Fridericus Augustus Wolfius, ad aedem Divi Petri Lipsiensem concionator primus, ad quem Bibliophilorum praesidium novissime pervenit, quaecunque huius sodalitii scripta ipsi tradita erant, aequè lubenter ac liberaliter mecum communicaverit: quod eximium amicitiae et benevolentiae in me documentum grata semper memoria prosequar.

Scriptorum autem illorum in cista asservatorum haec sunt:

- 1) Tria volumina octonaria, quorum primum non minus Collegii Philobiblici leges antiquissimas mense Novembri anni 1687. inscriptas, quam nomina collegarum et rationes a Collegii exordio ad annum 1690. continet, secundum, praeter leges mense Ianuario an. 1691. recognitas novasque deinceps adiectas, tum nomina collegarum rationesque ab hoc anno usque ad annum 1731. tum nomina primorum praesidum exhibet, tertium denique, *liber fiscalis* inscriptum et a M. Christoph. Frid. Tresenreutero a. 1732. inchoatum, non solum leges repetit a. 1691. datas, ita tamen, ut novae suo quaeque loco insertae reperiantur, additque leges bis deinceps mutatas, verum omnium etiam et praesidum et collegarum, qui unquam fuerunt, nomina simulque rationes ab an. 1732. ad an. 1820. persequitur.

- 2) Enarratio Biblica manu Augusti Hermanni Franckii scripta ab eoque in Collegio Philobiblico d. 29. Iun. a. 1687. recitata*).
- 3) Magnus numerus epistolarum tum Latinarum tum Germanicarum, ab iis praecipue, qui Bibliophili quondam fuere, ad hoc sodalitium datarum, quibus plerumque carmen vel donum nuptiale legibus constitutum precario petitur. Praeterea literae Latinae supersunt, quibus Ioannes David a Posco-ven, propter defectionem a coetu Pontificiorum patria profugus, a. 1689. opem Collegii implorat.
- 4) Varia solutae pecuniae testimonia aliaeque schedulae, in quibus res ad hoc institutum Biblicum spectantes notatae sunt.
- 5) Collectio libellorum nomine et auctoritate societatis istius editorum, qui partim sunt literae vel carmina vernaculo potissimum sermone condita, partim commentationes theologicae, maxime exegetici argumenti, quarum pleraeque Latine conscriptae sunt. His autem libellis modo adepti honores, modo pie defuncti memoria, tum, quod plurimum sit, nuptiae celebrantur.

Multa Collegii scripta periisse, inprimis Actorum librum, cuius et leges antiquissimae et rationes d. 23. Ian. 1687. exhibitae mentionem faciunt, admodum sane dolendum est. At vero cum iste liber non in legibus a. 1691. recognitis memoretur, tunc temporis iam non superasse, neque alius in eius locum substitutus esse videtur.

Rei, quam tractandam mihi sumsi, commode ita me satisfacturum esse spero, ut, quantum per fontes, quibus usus sum, licuerit, plenam accuratamque Collegii Philobiblici historiam componam, atque literas, quae eandem illustrant, vel suo loco addam, vel ad finem adiungam.

Ipsa autem haec historia secundum primarias, quas illud subiit, mutationes sponte in *quatuor partes* discedit, quarum *prima* a condito Collegio ad annum 1690., quo inhibitum et dissolutum est, *secunda* ab illius restauratione a. 1691. facta, legibus paululum immutatis, ad a. 1743., quo leges revisae atque recognitae sunt, *tertia* ab hoc tempore usque ad a. 1797., quo legum iterum facta est mutatio, et *quarta* ad nostra usque tempora progreditur.

Prima quidem *pars*, quam nunc exponam, licet paucos tantummodo annos complectatur, est tamen gravissima necdum ad liquidum explorata. Itaque non abs re fore arbitror, si in hanc historiae partem aliquanto plus inquiram, praesertim cum contigerit mihi fontes adire aut plane hactenus incognitos aut

*) In Appendice huius libelli eam proferam.

perraro adhuc patentēs. Ad illos, praeter literas ipsius sodalitii Philobiblici iam commemoratas, tria volumina epistolarum ineditarum referenda sunt in bibliotheca Academiae nostrae asservata, quorum duobus amplius septingentae Speneri epistolae ad generum suum Adamum Rechenbergium, Professorem Lipsiensem, vel Dresdae vel Berolini datae, et uno huius trecentae et quod excurrit responsiones comprehensae sunt; ad fontes vero accessu difficiliore duo libri rarissimi pertinent, quorum alterum ex Dresdensi, alterum ex Gottingensi bibliotheca mihi impertitum esse, gratus agnosco, scilicet:

- 1) *D. Phil. Jac. Speners, Churfürstl. Brandenb. Consistorial-Raths und Probst zu Berlin, Warhafftige Erzählung Dessen, was wegen des so genannten Pietismi in Deutschland vor einiger Zeit vorgegangen; aus Gelegenheit H. Gerhard Croesi seiner Historiae Quackerianae einverleibter Historiae Pietistarum und zu dero Verbesserung aufgesetzt. Welcher beygefüget eine kurtze Vorrede eines Anonymi, und was ihn veranlasset solches Büchlein durch den Druck zu publiciren etc.* (dat. Berlin den 4. Martii 1697). Amsterdam, Anno Christi 1700. pp. 107. 12. (Primum hic libellus ab ipso Spenero editus prodiit Francofurti ad Moenum a. 1697. et iterum a. 1698. 12.)*).
- 2) *Ausführlicher Bericht — wegen eines jüngst ausgebrachten Scripti Anonymi, Tit.: Ausführliche Beschreibung des Unfugs, welchen die Pietisten zu Halberstadt gestiftet etc., von L. Paulo Antonio, F. S. Eisenach. Kirchen-Rath und Hof-Pred.* (dat. Eisenach, den 2. Aug. 1693.) Iena, 1694. pp. 142. 4.

His igitur literis, praeter alios libros, quos suo loco indicabo, inspectis, cognovi quidem, quae hactenus de Collegii Philobiblici origine, ratione, consiliis, studiis atque cum Pietistarum, qui dicuntur, cognatione, desideriis conatibusque a scriptoribus innumeris relata leguntur, ea a vero plurimum abesse: at satius tamen duxi, certiora narrando historiae consulere, quam in singulis erroribus prolixè refutandis operam consumere. Quare paucis tantum eiusmodi errores respiciam, ut videant lectores, quae falsae de hac societate narrationes in historiam irrepperint et ad nostram usque memoriam ex aliis in alios deinceps libros sint translatae, ipseque, amplius ne propagentur, quantum potest, praecaveam.

*) Hanc pietismi historiam, quae §. 1 — 50. prorsus fere convenit cum Speneri praefatione Seckendorffii libello praemissa: *Bericht und Erinnerung auf eine neulich im Druck lateinisch und deutsch ausgestreute Schrift, imago pietismi genannt*, 1692. 4. (cum auctoris nomine, Halle 1713. 4.), Latine iam scriptam reperies praefationis loco ad *Io. Henrici vindicias dicti Luc. XIIX. 8. D. Pfeiffero oppositas*. 1696. Cf. *Io. Ge. Walchii Biblioth. theol. T. II. p. 704 sq.*